

HEXANDRIA POLIGYNIA. 123

POLYGYNIA.

**A**LISMA PLANTAGO AQUATICA: foliis ovatis, acutis; fructibus obtuse trigonis. *Oed. Dan. 561.*

PLANTAGO in aquosis, & ad ripas fluviorum, lacuum habitat. Ex ipsa igitur loc natalis notitia suspicio acredinis illico oritur, & revera planta acris est; ab ejus usu animalia trucidata scribunt nonnulli; à quibusdam pro vesicatorio in Hydrope laudata fuit. In infuso propinata ad calculosos morbos, ob egregios effectus, laudatur à *Magnifico de Haen Rat. Med. part. 4. p. 258.*

HEPTANDRIA

MONOGYNIA.

**A**ESCULUS HIPPO-CASTANUM: floribus heptandris.

Planta ex Asia in Europam anno 1550. adlata, à CLUSIO in Austria ante duo sæcula plantata, fructum fert, non ab omni venenata indole liberum, utpote nervos olfactorios ita afficientem, ut Sternutatio promoveatur. DALE. Corticem ramorum ex experimentis D. PEIPER non tantum in Febribus putridis multum valere, sed etiam in aliis, viribus Cortici Peruviano convenire, compertum est. ZANICHELIIUS Italus, Cortici æmulas vires in  
Fe-

124. HEPTANDRIA MONOGYNIA.

Febribus intermittentibus domandis, in cortice Aesculi expertus est, licet non adeo securas. Spinofus fructus, cortex, in carbones combustus, ad pulchre nigre tingendum inservire potest. Fructus ficcatus, pulverisatus, dat pulverem sternutatorium vehementem. Farina fructus exhibet bonum pabulum equis præcipue in Tussi, & Orthopnoea, si consueto eorum pabulo misceatur. Maturus crudus fructus, cervis est gratum pabulum, & ad saginandos porcos adhibetur. *Onom. Botan.* Ex eodem fructu Amylum quoque exquisitum parari potest: ut *Cel. Hist. Nat. Profess. de Well* ipsemet levissimum, & albissimum experimenti gratia paravit, mihi que pro sua in me benevolentia, ut solet, id etiam communicare favit.

OCTANDRIA

MONOGYNIA.

**D**APHNE MEZEREUM: floribus sessilibus, ternis, caulinis; foliis lanceolatis, deciduis. *Oed. Dan. 268.*

Planta hæc corticem æque, ac semina officinis largitur: utrumque sub diverso, nec proprio nomine, cortex, Laureolæ audit; semina, sub seminum Coccognidii nomine veniunt. Planta acris, septica, toxica, vim corrodentem, rubefacientem, excoriantem, stimulantem, pellentem, vomitoriam, cardialgicam,